

- Perdidisti fame florem,
grande nomen et honorem;
sancta tua sunt polluta,
sacra loca destituta
tua pro malicia.
- 26 Dives marcet egestate,
trabeatus nuditate,
fame, gelu fatigati,
micas rogant delicati
pre panis penuria.
Qui sub cancro latuerunt,
post in Jano perierunt;
hastas, arcus qui fugerunt,
elementa peremerunt
illos clade varia.
- 27 In croceis enutriti,
fuge longe via triti
tanta pena sunt puniti,
quod vixerunt, sed inviti,
canum cadaveribus.
Ira dei non quievit
his patratīs, ymo crevit,
nam fit fames, nigrabatur
os mundorum, quod cibatur
humanis corporibus.
- 28 Multi facti sunt Therei
et Thereo magis rei,
dum parentis replent nati
sua per se jugulati
viscera visceribus.
Famis malo nemo tutus,
fratrem frater persecutus,
et amicus amicorum
et ignotus ignotorum
vescitur de carnibus.
- 29 Visu pulcra perierunt,
preciosa viluerunt,
ordo, sexus, etas ruit,
qui juvaret nemo fuit
in hac pestilencia.
Surge Christe, rex virtutis,
fuga rei, spes salutis,
arma, scutum apprehende,
et in hostes manum tende
regali potencia.

26, 9 perimerunt Hs.
28, 10 nascitur Hs.

27, 8 nigrantur Hs.

28, 3 parentes Hs.